



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1634**

De Pentecoste. XVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40244**

lib. 6. cap. 105. Oratio Dominicae alia est ab Oratione Missae, quae habetur in Sacramentario Greg.

## De Pentecoste.

## CAP. XVII I.

**H**abet in Matutino tres Psalmos cum totidem Lectionibus, ut in Paschate, Ordo Romanus, & ex Greg. VII. de Consecrat. Dist. 5. cap. In die, ubi asseritur fieri de antiquo more, quamvis apud Romanos fuisse suo tempore Festum novem Lectionum scribat Amalarius Gregorio longe antiquior in Prologo de Ord. Antiph. contra Ordinem Romanum Amalario antiquiorem.

2 Restitutus est ergo ritus à Gregorio VII. vel firmatus Decreto: quo ritu idem significatur, quod diximus supra in Paschate cap. 14. num. 1. exceptis proprijs causis ad resurrectionem pertinentibus. Antiphonas, quae in hac die dicuntur in Nocturno, recenset Amalarius lib. 4. de Div. Offic. cap. 27. ut demonstratur, inquit, vnum opus esse in potentia miraculorum S. Trinitatis, tum in resurrectione Filij, tum in adventu Spiritus sancti. Tres Psalmos dici ob Baptismum, qui datur in Pentecoste in nomine Trinitatis, tradit Gemma lib. 3. cap. 144. Antiphonarum ad Laudes, quae apud nos, meminit Amal. de Ord. Antiph. cap. 57. Antiphona quarta non videtur aliquibus congruere Festo: sed recolant, quod in Genesi dicitur, Spiritus Domini ferebatur super aquas. De Hymnis, & eorum sine, vide sup. Sect. 5. cap. 6. num. 5. & 12. pag. 67. 72.

3 Ad horam Tertiam dicitur Hymnus *Veni Creator*: quia hora Tertia

super Apostolos Paracletus descendit. Et licet quotidie ad eandem Horam inuocemus eundem Spiritum, *Nunc sancte nobis Spiritus*; tamen convenit hac die, ut Hymno longiori & proprio Festi eum inuocemus, & ad nos inuitemus.

4 Per Octavam leguntur Evangelia cum Homilijs, quae apud Duran. habentur lib. 6. à cap. 110. & deinceps: nam tempore Ruperti alia legebantur in Quatuor Temporibus Pentecostes, ut ipse scribit lib. 10. cap. 27.

5 De Feria quarta, sexta & Sabba-  
to Quatuor Temporum, quae sunt Tempora aestiva, diximus Tomo prior. In his autem ad Horas non flectimus genua, ex Ord. Rom. quia tempus adhuc Paschale est; & ideo dicitur etiam *Te Deum*.

## De Dominica Trinitatis.

## CAP. XXI X.

**P**raeter ea, quae diximus Tom. 1. par. 4. tit. 12. pag. 280. de origine Festi sanctissimae Trinitatis, inuenies apud S. Augustinū Tom. 10. nonnullos Sermones in eodem Festo habitos, seu, quod puto verius, eidem Festo à Collectoribus assignatos: nam in ijs ne verbum quidem habetur, quo Festum hoc tunc temporis indicetur. Atqui post Alexandrum III. in Romana Ecclesia decretum est hoc Festum, cap. *Quoniam de Ferijs*.

1 Officium, quod hodie recitatur, antiquum appellatur in Breuiario edito Venetijs 1550. & puto esse illud, quod à sancto Stephano Leodiensi compositum fuisse scribunt Duran. l. 6. c. 114. & Trithemius in Chron. Hir-sugiensi. Aliud Officiū ego legi à Romana Ecclesia usurpatū, à Io. Pechano